Czaplic Stanislai: Quaestio de privilegiis.

QVÆSTIO

DE

PRIVILEGIIS.

Ex c. volentes de Priuileg. in Sext. iuncta Auth. Qua in Prouincia C. vbi de Crimine

PROPOSITA

Ad disputandum in Academia CRACOVIENSI.

Pro Loco inter V. I. Doctores obtinendo

A

M. STANISŁAO CZAPLIC
I. V. D. Ecclesiarum Colleg. S. Michaëlis in Arce, & Omnium SS. CRAC. Canonico.

Anno Domini 1647. Mense Decembri die 10.

CRACOVIÆ.

Apud Lucam Kupisz, S.R.M. Typogr.



V. Exempti, non obstante exemptione, quam Princeps Ecclesiasticus, Papa videlicet, & Episcopus; ac sæcularis, nimirum Imperator, & Rex, suis subditis concedere possunt, ab ordinarijs Iudicibus, post priuilegium exemptionis integraliter & originaliter exhibitum, ac eius possessionem probatam, ratione delicti, contractus, & rei, judicari possint, nec ne?

CONCLVSIO I.

Summus Pontifex, qui nullum in terris superiorem habet, non solùm Regularibus, vtriusq; sexus; & sæcularibus Ecclesiasticis vbiq; ac omnibus, cuiuscunq; status personis, in terris Ecclesiæ, exemptionem ab ordinarijs Iudicibus concedere potest.

COROLLARIA.

1. Papa est Iudex ordinarius, singulorum vbique locorum: nec vllus potest declinare eius iudicium.

2. Quando Papa aliquos Regulares, aut sæculares, vel eorum Collegium, sub suam recipit protectionem; eis, per hoc, non censetur exemptionem & libertatem concedere.

3, Quamuis Papa eximere possit aliquem, à potestate Episcoporum, & aliorum ordinariorum; à sua tamen potestate, & Romana curia, neminem eximere potest.

4. Exemptio à Papa concessa, à jurisdictione cuiuslibet ordinarij, non inducit exemptionem à jurisdictione Legati ipsius Papæ.

5. Exem-

5. *Exempti à juriſdictione Epiſcopi, non poſſunt juriſdictionem prorogare, & conſentire in non ſuum judicem.*

6. *Exemptio à Papa conceſſa, per non vſum, ſeu contrarium vſum, ſpatio annorum quadraginta amittitur.*

CONCLVSIO II.

Exemptionem, Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis, ſolus Papa pleno iure concedere poteſt: Epiſcopi verò, & Prælati inferiores, neminem in totum eximere poſſunt.

COROLLARIA.

1. *Exemptionem concedens Epiſcopus à ſeruitijs, non intelligitur procurationem ratione viſitationis remittere.*

2. *Quamuis Epiſcopus, poſſit ſubditos à ſua juriſdictione eximere; non tamen poteſt exemptionem à ſe conceſſam reuocare.*

3. *Poteſt Eccleſia à poteſtate Epiſcopi eximi, & ad Religioſos transferri, per præſcriptionem.*

4. Etsi Episcopus non possit eximere aliquem, in totum, à sua potestate; tamen, accedente justa causa, Capituli consensu, & Confirmatione Papæ, in totum eximere potest.

5. Exempti, exemptione data ab Episcopo, ad jus reuerentiale illi tenentur.

6. Exemptio non valet, collata monasterio, ab Episcopo, sine consensu Capituli: secùs eo interueniente.

CONCLVSIO III.

Non solùm Princeps Ecclesiasticus; sed etiam sæcularis, vt est Imperator & Rex, suis subditis exemptionem concedere possunt.

COROLLARIA.

1. Si Imperator, aliquem ex inferiori statu exemptum esse voluerit, ea lege, vt Imperij occurrente necessitate certum censum pensitet; hic alium superiorem quàm Imperatorem, recognoscere non debet.

2. Quamuis agricolæ, de jure ciuili ita exempti esse censeantur; vt, quo tempore vacant culturæ agro-

gro-

grorum, non possint vocari ad munera personalia, veluti calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, & his similia: hoc tamen non procedit, si ea munera respiciant Ecclesiam, vel aliam piam causam.

3. *Exemptio, alicui per aliquem supremum concessa, in omnibus suis terris; non solùm quoad terras acquisitas, sed etiam acquirendas, censetur esse concessa.*

4. *Habens aliquis à Principe exemptionem, vel immunitatem à muneribus ordinarijs, potest, ob superuenientem casum insolitum, & necessitatem improuisam, non attento exemptionis priuilegio collectari.*

5. *Constitutio Principis sæcularis, contra omnes, etiam exemptos publicæ pacis violatores facta, Clericos afficere non potest.*

6. *Princeps non potest reuocare exemptiones & priuilegia, quæ in naturam & vim contractus transeunt, vel quæ conceduntur in recompensationem.*

CONCLVSIO IV.

Exemptionis priuilegium allegans, tenetur illud integraliter & originaliter judici exhibere, & ejus possessionem probare.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Si priuilegium eſt notorium in titulo & poſſeſſione, vel in corpore juris clauſum, non debet exhiberi ab exempto.*

2. *Ordinarij Iudices, cognoſcere poſſunt, an ſua ſit juriſdictio: & vtrùm concurrat qualitas neceſſaria ad fundamentum illius: ac pronunciare ſuper exceptionibus declinatorijs ſui fori, ſeu incompetentiæ.*

3. *Ad euitandam ordinarij manutentionem, non ſufficit ſola exhibitio priuilegij, niſi deducatur quaſi poſſeſſio exemptionis.*

4. *Non dicitur aliquis conſtitutus in quaſi poſſeſſione, ex eo, quod non appareat, ſuperiorem in illum exercuiſſe juriſdictionem; niſi probetur, quòd venerit caſus exercendi.*

5. *Exemptus allegans & probans priuilegium & poſſeſſionem, manutenendus eſt, contra ordinarium, attentâ ſolâ communis juris diſpoſitione.*

6. *Exemptus & priuilegiatus citatus contra priuilegium, tenetur venire ad allegandum priuilegium ſuum: aliter tenet ſententia contra eum lata.*

CON-

CONCLVSIO V.

Regulares exempti, coram locorum ordinarijs, ratione delicti, ſiue contractus, aut rei de qua agitur, dum modò non ſit in loco exempto delictum patratum, vel contractus initus, aut res litigioſa ſita, poſſunt conueniri, ſi eorum priuilegia ſunt loco certo circumſcripta.

COROLLARIA.

1. Si verba priuilegij exemptionem expreſſam includunt; tunc in totum priuilegia à iuriſdictione ordinarij eximunt, exemptos ita, vt ſoli Romano Pontifici immediatè maneant ſubiecti.

2. Si priuilegium exemptionis, ratione perſonæ conceſſum fuerit abſq; vlla præfinitione loci; vbicunq; deliquerit exemptus, vel contraxerit, eodem priuilegio vtetur.

3. Religioſi priuilegium habentes, cuius vigore, ab ordinario excommunicari non poſſunt, ſi habitent in locis ſubiectis ordinario, vt ibi re-

gant vel residеant, ex causa legitima excommunicari possunt.

4 Regulares, si excesserint metas suorum priuilegiorum, siue id fiat intra claustra, siue extra, eis exemptio non suffragatur.

5. Exemptus existens in loco exempto, si percusserit sagittâ vel lapide existentem in loco non exempto, potest ratione huius delicti conueniri in vtroq́ loco.

6. Exemptus existens in loco exempto, delictum fieri mandans, subsecuto delicto, per mandatarium in loco non exempto patrato, mandator conueniri non potest in loco vbi mandauit; sed vbi delictum fuit subsecutum.

Sub felicibus auſpicijs, Perilluſtr: ac Magnifici Dni.

JACOBI VITELLII S. T. D. & Profeſſoris, Eccleſiæ Cathedralis Crac: Canon. Almæ Acad. CRAC. Generalis RECTORIS.

~~Czaplic Stanislai~~

~~Quaestio de privilegiis.~~